



pli-ca-to fœ-no-re, cum cen-te-si-mo fru-ctu,



co-ro-na-que ju-sti-ti-æ, ad cœ-le-sti-um the-sau-



ro-rum do-na tu-a per-ve-ni-at.

Quod sequitur dicit submissa voce legendo, ita tamen, quod a circumstantibus intelligi possit. Præstante Dómino nostro Jesu Christo, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per ómnia sæcula sæculórum. *R.* Amen.

Deinde dicit :

OREMUS.

DEUS, cui omnis potestas, et dignitas famulatur, da huic famulo tuo prósperum suæ dignitátis effectum, in qua semper te timeat, tibi que júgiter placere conténdat. Per Christum Dóminum nostrum. *R.* Amen.

OREMUS.

OMNIUM, Dómine, fons bonórum, justorúmque provéctuum munerátor; tribue, quæsumus, huic famulo tuo adéptam bene gérere dignitátem; et a te sibi præstitam bonis opéribus comprobáre. Per Christum Dóminum nostrum. *R.* Amen.

OREMUS.

EXAUDI, Dómine, preces nostras, quas in conspéctu tuæ majestátis super hunc famulum tuum fúndimus, qui vice tui nóminis ad gubernatióem óvium tuárum statúitur; ut eum respícere, et interveniénte beáto *N.* bene ✠ dicere dignéris, et qui ad redemptióem, et protectióem nostram de cœlo descendisti, et mundo te verum, et summum Pastórem exhibuísti, dicens: Ego sum pastor bonus; te invocámus, te suppliciter deprecámur, ut huic famulo tuo, quem pastorális officii culmen subire voluísti, tua bónitas adsit, et bene ✠ dictio, ómnibus diébus vitæ suæ. Prótege eum, Dómine, et defénde ab ómnibus visibílium, et invisibílium adversitátibus inimicórum; dirige gressus ejus in viam pacis, et justitiæ; et largire tuárum dona virtútum, justítiam, temperántiam, fortitúdinem, prudéntiam, charitátem, sobrietátem, paciéntiam, longanimitátem, constántiam insuperábilem, fidem non fictam, spem inconcússam, mentem devótam, humilitátem perféctam, intelligéntiam rectam, benignitátem, modéstiam, unanimitátem, pacem, concórdiam, castitátem, abstinentiam, vigilántiam, discretiónem, rectitúdinem, sciéntiam, pietátem, consilium, et in cunctis áctibus bonis inviolátam perseverántiam. Aufer, Dómine Jesu Christe, ab eo, quidquid pravum, et distórtum est, quidquid salúti contrárium, quidquid animæ nocívum; supérbiam, jactántiam, vanam glóriam, elatióem, et quidquid ad últimum tibi displicens esse potest. Circúmda eum intérius, et extérius tuæ protectiónis auxilio; ut, te defensóre, sit tutus; te protegénte, secúrus; te docénte, sciens. Osténde ei viam, per quam ámbulet; tribue ei thesáurum sapiéntiæ, ut sciat, et hábeat unde nova et vétera próferat. Fac eum in ómnibus tua sequi vestígia et de sua ministratióne gáudium bonum adipisci; ut post hujus sæculi excúrsus, cum ante tribúnal tuum vénerit, cum múltiplici fructu

animarum, illud ei præmium largiâris cum omnibus, quos tibi præsentâbit, quod fidelibus dispensatoribus tuis, pro tuo nómine laborantibus in terris, te promisisti datûrum esse in cœlis. Qui cum Patre, et Spîritu sancto vivis, et regnas Deus in sæcula sæculorum. *ñ.* Amen.

Postea sedens Pontifex, accepta mitra, dat ei ambabus manibus tangenti, et recipienti regulam, dicens :



ACCIPE régulam a sanctis Pátribus trãditam ad regendum, custodiendumque gregem tibi a Deo créditum, quantum Deus ipse te confortâverit, et fragilitas humana permiserit. Accipe gregis Domínici patérnam providéntiam, et animarum procuratiónem, et per divinæ legis incedendo præcepta, sis ei dux ad cœlestis hereditátis páscea, adjuvânte Dómino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spîritu sancto vivit, et regnat Deus in sæcula sæculorum. *ñ.* Amen.

Deinde, deposita mitra, surgit Pontifex, et stans benedicit baculum Pastoralem, si non sit benedictus, dicens :

OREMUS.

SUSTENTATOR imbecillitâtis humanæ, Deus, béne *✠* dic báculum istum; et quod in eo extérius designâtur, intérius in móribus hujus fámuli tui, propitiatiónis tuæ cleméntia operétur. Per Christum Dóminum nostrum. *ñ.* Amen.

Deinde aspergit illum aqua benedicta. Tum sedens accipit mitram : et stans tradit baculum Abbati coram se genuflexo ambabus manibus illum capienti, dicens :



ACCIPE báculum Pastorális officii, quem præferas cætervæ tibi commissæ : ut sis in corrigendis vitiis pie sæviens; et cum irátus fúeris, misericórdiæ memor eris.

Deinde, deposita mitra, surgit Pontifex, et benedicit annulum, si non sit benedictus, dicens :

OREMUS.

CREATOR, et conservator humáni generis, dator grátiae spirituális, largitor aeternae salutis; tu, Dómine, emitte benedi ✠ ctionem tuam super hunc ánnulum; ut quicumque hoc sacrosáctae fidei signo insignitus incésserit in virtute cœlestis defensionis, ad aeternam sibi proficiat salutem. Per Christum Dóminum nostrum. *R.* Amen.

Post hæc aspergit annulum aqua benedicta; sedet cum mitra, et annulum in digitum annularem dexteræ manus Abbatis immittit, dicens :

ACCIPE ánnulum, fidei scilicet signáculum; quatenus sponsam Dei, sanctam videlicet Ecclésiám, intemérata fide ornátus, illibáte custodias.

Tum, deposita mitra, surgit Pontifex, et stans versus ad illum coram se genuflexum, dicit :

OREMUS.

TE, omnipotens et piissime Dómine, deprecámur, hunc fámulum tuum propítius intuere; ut, grátia tua auxiliante, in sua, subjectorumque conversatióne præcepta sanctæ regulæ efficaciter studeat adimplere, ut una cum commisso sibi grege perpétua potiátur beatitudine. Per Christum Dóminum nostrum. *R.* Amen.

His expeditis, Pontifex accipit Abbatem ad osculum pacis. Idem faciunt Assistentes. Tum surgens Pontifex accedit ad altare, si Missa legitur: si vero cantatur, accedit ad sedem suam, vel ad faldistorium, et ibi prosequitur Missam usque ad Offertorium inclusive.

Abbas autem redit cum Assistentibus ad capellam suam, et ibi in altari suo similiter Missam prosequitur

usque ad Offertorium inclusive; quo dicto, Pontifex sedet ante altare in faldistorio cum mitra, et Abbas ante eum medius inter Assistentes reducitur, et coram eo genuflexus, offert ei duo intortitia accensa, duos panes, et duo barilia vino plena, et Pontificis prædicta recipientis manum reverenter osculatur; deinde surgit Abbas; Pontifex vero lavat manus, et accedit ad altare, ac prosequitur Missam, Abbas vero ante scabellum, super quod coram se habeat Missale in loco convenienti; medius inter Assistentes suos genuflexus, legit totam Missam, exceptis verbis consecrationis, quæ non proferet.

Pro Abbate benedicto, cum Secreta diei sub uno Per Dóminum, per Pontificem dicitur

SECRETA.

MUNERA nostra, quæsumus Dómine, súscipe placátus; et hunc fámulum tuum semper, et ubique misericórditer prótege. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. *R.* Amen.

Per Abbatem dicitur

SECRETA.

MUNERA, quæsumus Dómine, súscipe placátus, et me fámulum tuum semper, et ubique misericórditer prótege. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. *R.* Amen.

Dicta Oratione, Dómine Jesu Christe, qui, etc. per Pontificem, et Abbatem, Abbas accedit ad altare, ad dexteram Pontificis, et ambo osculantur altare. Tum Pontifex dat pacem Abbati, dicens: Pax tecum.

Cui Abbas respondet: Et cum spíritu tuo.

Et redit ad suum scabellum, et dat pacem Assistentibus suis, primum seniori, tum alteri, singulis dicens: Pax tecum.

Et illi respondent: Et cum spiritu tuo.

Deinde postquam Pontifex se de Corpore, et Sanguine (quem totum sumere debet) communicaverit, et antequam se purificet, communicat Abbatem genuflexum de Corpore tantum. Tum Pontifex, accepta mitra, lavat manus; et prosequitur Missam usque ad finem. Abbas etiam in scabello suo Missam perficit.

Postcommunio, quæ dicitur sub uno Per Dóminum, cum Postcommunionem diei per Pontificem.

POSTCOMMUNIO.

HÆC nos commúnio, Dómine, purget a crimine; et hunc fámulum tuum benigna pietáte consérvet. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. *ñ.* Amen.

Per Abbatem dicitur

POSTCOMMUNIO.


HÆC nos commúnio, Dómine, purget a crimine; et me fámulum tuum benigna pietáte consérvet. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. *ñ.* Amen.

Pontifex in fine dat benedictionem solemnem; qua data, si Abbas est de mitra, reponitur faldistorium ante medium altaris, et Pontifex cum mitra in eo sedet. Abbas vero biretum in capite tenens coram eo genuflectit. Tunc Pontifex, deposita mitra, surgit, et benedicit mitram, si non sit benedicta, dicens:

OREMUS.

DOMINE Deus, Pater omnipotens, cujus præclára bonitas est, et virtus imménsa, a quo omne datum óptimum, et omne donum perféctum, totiúsque decóris ornáméntum, bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficáre dignáre hanc mitram hujus fámulí tui Abbátis cápiti imponéndam. Per Christum Dóminum nostrum. *ñ.* Amen.

Et mox eam aspergit aqua benedicta, deinde sedens cum mitra, imponit eam capiti Abbatis, dicens:



U. P. M.

L. P. L. P. L. P.

IMPONIMUS, Dómine, cápiti hujus fámulí tui Abbátis gáleam munitiónis, et salutís; quátenuš decoráta fácie, et armáto cápíte córnicibus utriúsque Testaméti, terríbilis appáreat adversáriis veritátis; et, te ei largiénte grátiam, impugnátor eórum robústus existat, qui Moysi

fámuli tui fáciem ex tui sermónis consórtio decorátam, lucidíssimis tuæ claritátis, ac veritátis córnibus insignisti, et cápiti Aaron Pontíficis tui tíaram impóni iussisti. Per Christum Dóminum nostrum. *R.* Amen.

Deinde, si chirothece non sint benedictæ, surgit Pontifex, mitra deposita, et eas benedicit, dicens :

OREMUS.

OMNIPOTENS creátor, qui hómini ad imáginem tuam cón-dito, manus discretiónē insignítas, tamquam órga-num intelligéntiæ, ad recte operándum dedisti; quas servári mundas præcepisti, ut in eis ánima digne portarétur, et tua in eis digne consecraréntur mystéria, benedícere, et sancti ficáre dignáre mánuum hæc teguménta; ut quicúmque ministrórum tuórum sacrórum Pontíficum his veláre manus suas cum humilitáte volúerit, tam cordis, quam óperis ei mundítiam, tua misericórdia subministret. Per Christum Dóminum nostrum. *R.* Amen.

Et aspergit eas aqua benedicta. Deinde, accepta mitra, sedet et imponit illas manibus Abbatis, extracto prius illi annulo Pontificali, dicens :

CIRCUMDA, Dómine, manus hujus ministri tui munditia novi hóminis, qui de cœlo descéndit, ut quemámodum Jacob diléctus tuus, pelliculis hædórum opértis mánibus, patérnam benedictiónem, obláto patri cibo, potúque gratíssimo, impetrávit, sic et iste, obláto per manus suas hóstia salutári, grátia tuæ benedictiónem impetráre mereátur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui in similitúdinem carnis peccáti, tibi pro nobis obtulit semetipsam. *R.* Amen.

Et statim imponit ei annulum. Si Abbas non sit de mitra, omnia, quæ post benedictionem, finita Missa, per Pontificem datam, posita sunt, prætermittuntur.

Tum Pontifex mitram in capite tenens, campanis pulsantibus, si sit in monasterio Abbatis, ducit illum etiam mitram in capite tenentem, si sit de mitra, ad chorum; et statuens eum in sede prædecessoris sui, et dans ei baculum Pastoralem in manu sinistra, dicit :

ACCIPE plenam, et liberam potestátem regéndi hoc monastérium, et congregatióem ejus, et ómnia quæ ad illius régimen intérius et extérius, spirituáliter et temporáliter pertinére noscúntur.

Si vero benedictio fit extra monasterium suum, Pontifex statuit illum in faldistorio, quo ipse usus est, ante medium altaris posito, dicens :

STA in justítia et sanctitáte, et tene locum a Deo tibi delegátum; potens est enim Deus, ut áugeat tibi grátiam suam.

Et Abbas, si non sit de mitra, biretum sibi ipsi reponit. Deinde Pontifex stans a dexteris Abbatis, versus ad altare, mitra deposita, incipit Hymnum, schola, vel clericis prosequentibus :



Te De-um lau-da - mus. 119.

Et manet sine mitra apud sedem usque ad finem Hymni.

Dicto primo Versu, surgit Abbas, si sit de mitra, et circuiens per Ecclesiam, associatus a suis Assistentibus cum mitris, benedicit populo: rediens ad sedem, seu faldistorium, in quo sedet, et si sit in suo monasterio, recipit omnes monachos suos ad manus, et oris osculum, qui tamen omnes prius ei reverentiam exhibeant. Si vero non sit de mitra, manet sedens in sede, seu faldistorio, cooperto capite a principio Hymni prædicti

usque ad illius finem, et recipit omnes monachos suos ad osculum, ut supra. Finito Hymno, Pontifex stans sine mitra, a dextris Abbatis cum mitra (si sit de mitra, alioquin cum bireto) sedentis, dicit super eum :


- V. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.
 R. A templo sancto tuo, quod est in Jerúsalem.
 V. Salvum fac servum tuum, Dómine.
 R. Deus meus sperántem in te.
 V. Esto ei, Dómine, turris fortitúdinis.
 R. A fácie inimici.
 V. Nihil proficiat inimicus in eo.
 R. Et filius iniquitátis non appónat nocére ei.
 V. Dómine, exáudi oratióem meam.
 R. Et clamor meus ad te véniat.
 V. Dóminus vobíscum.
 R. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

EXAUDI, Dómine, preces nostras, et super hunc fámulum tuum spíritum tuæ bene ✠ dictionis emitte; ut coelésti múnere ditátus, et tuæ majestátis grátiam possit acquirere, et bene vivéndi áliis exéplum præbére. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte ejúsdem Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum.
 R. Amen.

His dictis, Pontifex, accepta mitra, vadit ad cornu Evangelii altaris apud quem stant Assistentes cum mitris. Abbas vero, si sit de mitra, surgit cum mitra, et baculo Pastoralis, et accedens ante medium altaris, populo solemniter benedicit, dicens: Sit nomen, etc.

Postea accedit ad cornu Epistolæ altaris, et ibidem cum mitra, et baculo genuflexus, versus ad Pontificem, dicit cantando:



Ad multos annos.

Si vero non sit de mitra, omissa benedictione, dicit: Ad multos annos, ut supra dictum est; quo dicto, Pontifex recipit eum surgentem ad osculum pacis. Idem faciunt Assistentes, qui deinde Abbatem Evangelium sancti Joannis, In principio erat Verbum, etc. dicentem, inter se medium ad ejus capellam reducunt, cum mitra, si ea utitur, et baculo Pastoralis incedentem. Pontifex vero pacis osculo, ut præmittitur, Abbati dató, dicit submissa voce:

Dóminus vobíscum.

Inítium saneti Evangelii secúndum Joánnem.

Signat altare, et se; et apud sedem, vel faldistorium deponit sacras vestes. Quibus depositis, Abbas Pontifici, et Assistentibus, pro more, gratias agit; et vadunt in pace omnes.